DE
SINGULARUM INTESTINI PARTIUM,
RESPECTU MORBORUM, DIAGNOSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM
EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS
MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
AD GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
RITE CAPESSENDUM
SCRIPSIT
ET DIE XIV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIX
PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS SMITZ,
BATAVUS.

OPPONENTIBUS:
A. WILLEMS, med. et chir. cand.
P. KESSEL, med. et chir. Dd.
H. TIEKMANN, med. et chir. Dr.

BONNAE,
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXXXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MED. CHIR. PHIL. DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD.,
DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER.
COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

In pertractanda hac materia aliorum fere solae observationes et doctrinae mihi duces fuere. Ea enim colligere et comparare, quae illustrissimi antiqui et nostri temporis auctores de intestini morbis scripsere et observarunt, unicum esse medium, quo sedem morbi eruerem, mihi visum est.

Facile tamen negotium eo minus quidem est, quod pleraeque observationes affectionem morbosam unius intestini partis complicatam esse cum affectione partis affinis demonstrent, quo fit ut symptomata pathognomonica fere nunquam clare pateant. Quod ad ieiunum spectat, vix ulla symptomata huic intestino soli propria auctores indicavere, semper vel duodenum vel ileon vel utraque compatiuntur;

hanc ob causam non specialiter de ieiuno loquar; quae vero duodeno conveniunt symptomata ad superiorem, quae ileo ad inferiorem ieiuni partem applicentur. Denique symptomata, quae ex comparatis doctrinis et observationibus singulae intestini parti maxime conveniunt, indicabo, ut ex iis, quantum licet, determinatam intestini partem peccare innotescat.

Duodenum.

Huius partis tractus intestinalis affectionem ita describit Abercrombie [1]): Appetitus ciborum bonus ac primus actus digestionis optime peragitur; sed dolor exoritur dum cibi ventriculum deserunt, plerumque duabus vel quatuor horis post cibos sumptos. Tum dolor saepe fit vehemens, aliquando per plures horas perdurat et se oblique retrorsum versus renem dextrum dirigit. In quibusdam casibus cessat dolor pedetentim post aliquas horas, in aliis vomitu exorto tollitur. Quibus Irwin addit: communiter dolor est profundus, se ex regione renis dextri oblique retrorsum dirigit, vel incipit ubi regio epigastrica affinis est hypochondrio sinistro et situ laterali saepe adaugetur. Ita Irwin observavit aegrum iam modo diu chronica duodeni affectione laborantem ac magis magisque affectum. Tribus fere hebdomadibus ante mortem tumor in hypochondrio dextro apparebat, post decem tamen dies rursus evanescens. Sectione cadaveris instituta, ventriculus inveniebatur valde dilatatus, pro caeteris sanus aeque ac hepar; in superficie interna duodeni dilatati ac indurati multa ulcera ac tubercula reperiebantur, quorum quaedam magnitudini nucis avellanae non cedebant, et in centro mollitiem incipientem offerebant. Duodenum continebat puris Uncias quatuor. Abercrombie

1) Unterleibs Krankheiten. pag. 129.

docet raro tumorem et interdum solummodo praegredientem vel ad finem vitae brevi tempore in regione hypochondriaca dextra observari. Seats opinatur tumorem praesertim aeris accumulatione in duodeno exoriri, sub hepate latere, ad decursum duodeni se dirigere et ad latus sinistrum dilatari. In magno irritationis gradu symptomata febrilia gastrica, dedolatio musculorum thoracis, dysphnoea atque capitis gravedo accedere possunt. Seats considerat, cephalaeam, vertiginem, dysphnoeam, tussin, dolorem in thorace ac dorso uti symptomata consensualia maximi momenti. Dolorem Burserius ita describit: dolor qui dorso lumbisque dextrorsum speciatim infestior est, duodenum potissimum aut ieiuni initium afficere creditur, cum duodeni finis incumbat lumborum regioni; sed tunc cardialgiam, colicam hepaticam aut nephriticam quodammodo mentitur. Secundum Seats dolor supra regionem hepatis sub costis, in regione renis dextri atque etiam dextrorsum regionis umbilicalis sedem habere potest.

Casimir Broussais[2]) fusius de duodeni morbis disserit. Irritationibus frequentioribus, inquit, quarum causa imprimis nimius ciborum et spirituosorum usus aut medicamenta acria sunt, praesertim laxantia, concoctio ciborum difficilior redditur: duabus vel tribus horis post coenam largiorem de sensu incommodo caloris et interdum de dolore satis vehementi in hypochondrio dextro infra mammas sub costis spuriis queritur aeger. Hic dolor evanescit novis in diaeta vitiis commissis reventurus; saepe ad scapulam dextram extenditur, aliquando ad hanc scapulam dumtaxat existit hic dolor pressione ac spiritu alte ducto auctus, calorque iste localis primum fugaces sunt et tabulae excessus solummodo sequuntur aliaque irritamenta gastrica; dein iterum apparent

2) Sur la duodénite chronique p. 24.

post cibos blandissimos et tandem quotidie aegrum infestant. Dolor denique duodenalis vel scapularis fit constans, obscurus saepius est, sed spiritu alte ducto vel pressu forti in regione duodeni patefit. Calor quoque continuus ibi fieri potest. Aliquando irritatio duodenalis offert accessus et tum in accessu symptomata gravia indicant inflammationem in plura organa agere: sapor amarus, vomitus biliosus vel niger aut diarrhoea, spasmi, convulsiones. Dolor non modo ad scapulam, verum quoque ad totam trunci partem dextram, immo etiam ad dorsum et totum abdomen pressum vel levissimum non ferens, et ad brachium dextrum propagatur, in quo causat tumescentiam universalem. In aliquibus aegris sensilitas adeo exaltata est ut vel levissimo strepitu perterreantur, spasmis convellantur nec ullam quidem vocem pronuntiare audeant. Non raro in tali morbi insultu conspicitur rubor circumscriptus in regione duodeni aut flavedo in toto hypochondrio dextro [3]), quae post paroxismum disparent cum eo reventura. Interdum mucus, fel, haud raro etiam calculi biliarii in talibus convulsionibus vomitu eiiciuntur, aut diarrhoea exoritur. Quae quum irritatio localis perdurans cerebrum quoque afficiat, aegrotorum animus in dies magis magisque tristitia affligitur, ita ut denique hypochondriasis oriatur.

Praeter dolorem circumscriptum tumor mollis sentitur in regione duodeni, cuius sedes accurate definiri non possunt; saepe valde crescit, per costas spurias eminet nec adeo raro usque ad umbilicum et regionem iliacam dextram descendit [4]). Tum spiritus angustiae et asthma sequuntur nec aegrotus celeriter se movere ullo modo potest; post coenam

---

3) Cf. Hoffmann medic. ration. system. Tom. IV. p. 4. cap. 12. obs. 15.

4) Cf Morgagni de sedib. et caus. morbor. epist. 36. §. 2.

magna pectoris oppressio: haud raro simul mollities rubra pulmonis dextri observatur.

Fellis in duodenum influxu turbato, icterus totius corporis et singularum partium, vomitus aut diarrhoea biliosa accedunt, interdum vel ossa flavescunt[5]). Treillie vidit, quum tali in casu venaesectio institueretur, initio non nisi fluidum flavum biliosum profluens. Apud nonnullos aegrotos, qui diu hoc morbo affecti sunt, nullum amplius fel secernitur[6]). Broussais vidit in aliquibus casibus encephalitidem et apoplexiam sequi; in aliis nephritidem; in aliis haemorrhagiam internam lethiferam. Narrat casum quo dyspepsia per longum tempus exstiterat, quam dolor ac sensus pulsationis in regione epigastrica sequebantur; decimo die aegri facies pallida, frigida et convulsiones fortissimas mors sequebatur.

Roberts[7]) describit casum quo ante plures menses aeger de dolore trahente in epigastrio questus erat; per sex hebdomades diarrhoea et per sex dies vomituritiones et anorexia aderant. Tum tribus horis post coenam aeger corripiebatur dolore vehementi in epigastrio, mox per totum abdomen vaganti et mors sequitur. Hoc in casu perforationem adfuisse et quidem duodeni, autopsia demonstravit; aeque ac in casu sequenti [8]), quo vir quidam questus erat per plures menses de dolore vago in epigastrio; per sex hebdomades diarrhoea affuerat; ultimis decem diebus appetitus ciborum disparuerat; vomituritiones frequentes exoriebantur; aeger omnino male se habebat. Post coenam paulo uberiorem dolo

---

5) Morgagni l. c. epist. 37. §. 9.

6) Hoffmann l. c. Tom. III. Sect. 1. cap. 4. §. 39—40.

7) Nouvelle bibliothèque médicale. Juin 1828.

8) Bulletin des sciences médicales tom. XVIII. p. 383.

res e ventriculo exeuntes apparebant, se illico per totum abdomen distribuentes, simul vomitus sequebatur prius alimentorum dein muci ac bilis. Mane sequente facies pallida ac anxia, corpus sudore frigido obtectum, pulsus valde frequens et parvus, abdomen tensum, tumefactum et maxime dolorificum; lingua pallida, humida; vomitus biliosus continuabat; aeger vespere moriebatur. Duodenum solum hoc in casu peccabat.

Teste ill. Naumann magna et profunda ulcera in duodeno cito maciei summus gradus sequitur.

Memoratu digna sunt quae Graham [9]) dicit de duodeni affectionibus; duodenum vel intestinum primum, inquit, fixum est tela cellulosa laxa in parte abdominis posteriore et autopsia demonstravit duodenum taliter posse dilatari ut aliquando amplitudine ventriculo non cedat. Existentia doloris in hac parte saepe reperitur sub septima vel octava costa; profundus est dolor ac si in loco vesicae biliariae situs foret, se in hypochondrium dextrum ac renem propagans ac dein visus quasi in regione lumbali vagaretur. Dum decursum duodeni observamus hunc dolorem quoque talem decursum habiturum exspectaremus, attamen facile reperimus hunc cum hepatis affectionibus commutari posse. Si symptomata ab Abercrombie, Broussais etc. supra citatis allata adsunt ac simul urina coloris lactei ac creta quasi commixta invenitur, numquam dubitat Hamilton junior [10]) quin affectio intestini primi adsit, quum talibus in circumstantiis semper duodenum affectum invenerit, nec unquam hanc urinam in morbo hepatis observarit neque ventriculi.

Si duodenum affectum est, dolor est profundus vel infra

---

9) Dr. Thom. John Gratam on the stomach and civer p. 30.

10) On the use and abuse of mercury pag. 110.

hepar vel in regione umbilicali vel parum infra hanc regionem [11]). W. Stokes [12]) describit duodeni affectionem cum ictero secundario complicatam, cuius causa occasionalis plerumque indigestio est vel refrigeratio ventriculi potu aquae frigidae; tum duobus vel tribus diebus ante icteri apparitionem vomituritio, vomitus, sitis permagna, appetitus ciborum nullus, caloris sensus in epigastrio pressu dolorificus; lingua obtecta, alvus obstructa, urina turbida, magna virium debilitas; vertigo, moeror, languescentia sese offerunt; quae symptomata semper concomitatur febris; hepatitidis signa nulla; cum tamen icterus ab hepatitide ortum ducens quoque cum febre sit, sequentia diagnosin stabilibunt: dolor a duodenitide proveniens minor est eo, qui ex hepatitide ortus est; manus explorans ac plessimeter hepar non tumefactum inveniunt, nec percussio dat sonum fuscum in parte inferiore thoracis lateris dextri; si febris ephemera est, ita ut post unum vel duos dies evanescat, tum diagnosis firmior erit.

Ileon.

Ex omnibus morbis, quibus genus humanum affligitur, ieiuni et ilei affectiones difficilius dignoscuntur; symptoma pathognomicum non datur, nisi alvi obstructio ut tale notetur, quae etiam non semper eas concomitatur, nempe quum intestina crassa etiam inflammatione afficiuntur. Absque fe-

---

11) Piorry traité de diagnostic et de séméiologie Tom. II. pag. 168.

12) Ueber die Heilung der innern Krankh. am Krankenbette. Deutsch bearb. von Dr. Behrend. Erste Lieferung Bog. 1—12. p 87.

bre hae affectiones existere possunt, attamen quoque uti febris vehementissimae symptoma ac haec ut illarum.

Symptomatum obscuritas eo valde adaugetur, quod inflammatio intestini ilei omnino dolore vacua est. Homo non habet sensilitatem in intestino suo tenui, quae veritas diu manebat occulta, sed certa redditur symptomatis operationem herniae concomitantibus. Dum enim intestina crassa prolapsa sunt, dolent tactu post aperturam sacci; dum intestina tenuia vero prolabuntur, tanguntur, trahuntur, reponuntur absque conscientia aegri, inflammata sint nec ne; quod simul probat inflammatione hanc insensilitatem non tolli, quod communiter admittebatur; in conditione sana videlicet neminem intestina sua tenuia sentire sed crassa dumtaxat eorumque contentorum motus experientia docet; in morbis vero eo certius sensilitas expergefieri credebatur, quod intestina tenuia nervis ganglionaribus abundent; in hernia quippe incarcerata inflammata sunt et omni etiam pressu sublato ita ut per aperturam sacci herniosi facili negotio protrahi et reponi queant, omnino manent insensilia. Ita disserit de hac materie Dr. C. G. Neumann [1]), quae si vera forent, diagnosis pluribus in casibus certior redderetur ac facilior. Sequentia mecum ill. Prof. Naumann contra Neumannii theoriam communicavit.

1) Dolor vehementissimus exoritur dum calculus biliosus in duodeno premitur.

2) Omnia symptomata enteritidis acutae, sub signis ilii laetalem exitum post se ferentis, pugnant contra Neumannii opinionem, quum Peritonaeitis acutissima absque vehementi dolore ac absque vomitu materiei faecalis necari potest. In enteritide acuta summum gradum adipiscuntur dolores ac fere

---

1) Von den Krankheiten des Menschen. Bd. I, cap. X. p. 238.

semper in regione umbilicali percipiuntur, ubi dumtaxat iacent intestina tenuia.

3) Intestina tenuia aeque ac crassa nervos suos habent (ope plexus meseraïci) a nervis splanchnicis, qui ortum ducunt ex plexu coeliaco. Quid mirum foret, si extremitates horum nervorum in aliquibus locis dolorem promoverent, in aliis nullum!

4) In multis intestini crassi morbis observamus similem apparentem insensilitatem ex. gr. in catarrho chronico. Ita quoque multi morbi pulmonum absque dolore decurrunt; alii valde dolorifici; quod dependet a qualitate irritamenti morbosi.

5) In morbis cum delirio ac sopore affectio cuiuslibet organi dolore caret.

6) Dum in herniis intestinum tenue prolapsum ac incarceratum est, dolorem vehementissimum promovet aeque ac intestinum crassum. Dolore cessante, vel gangraena iam modo exorta est vel valde appropinquat.

7) Peritonaeum ipsum non potest fieri sedes doloris, cum omnino nervis careat.

Hanc quoque observationem mihi tradidit saepius modo laudatus ill. Naumann.

A. L. vir robustus, annos natus triginta moriebatur die nono postquam affectus fuerat enteritide acuta omnino neglecta, quae ex metastasi rheumatica orta erat. Autopsia instituta, fere totum ieiunum et ilei pars superior inveniebantur quam maxime inflammata; in pluribus locis hoc erat molle ac gangraenosum, omnino sphacelosum. Peritonaeum quoque erat inflammatum, ubi intestinum crassum omni inflammatione manserat immune. Nihilominus tam vehementes dolores in abdomine passus erat aeger, ut saepe alte vociferari fuerit coactus.

Paulus Barbette [2]) ita constituit diagnosin: si intestina tenuia sint affecta, dolor erit acutissimus nec statim post dolorem excrementa deponuntur et deposita iam magis cum sanguine pureve sunt permixta, quam quidem evenit ubi crassa solummodo sint affecta intestina; nam tum dolor obtusior, statimque post dolorem excrementa excernuntur, nec ita cum sanguine pureve erunt permixta; ubi vero utraque intestini pars affecta est, primo dolor acutissimus, deinde obtusior erit; excrementa cum sanguine pureve sunt permixta et simul super excrementis cruor et materia purulenta conspiciuntur. Quoad excretiones morbosas cum auctore iam citato consentire videtur Neumann [3]) cum quoad dolorem maxime ab eo dissentiat; dicit enim: Pus, dum non evacuatur in intestino crasso, sed altius, non amplius praebet aspectum puris ex abcessu proventi dum per intestinum transiit, sed perspicuum fit tegumento spumoso excrementorum ac odore puri proprio. Sanguis dum venit ex ventriculo et intestino tenui modo ut cruor observatur, qui tamen non rubet, sed secreto intestinali admixtus, apparet ut terra nigra vel coffeae sedimentum.

Aliud quoad excrementa assignat notam Suckow [4]): faeces nempe ex alimentis non digestis morbum intestini tenuis indicant.

Teste Albers [5]) haemorrhagiae per anum secundum stadia morbi characterem prae se ferunt specialem. Ante acmen febris eae sunt exiguae ita ut quaedam guttulae faecibus tantum admixtae sint; contra post acmen communiter sunt copiosissimae et ut signum ulcerationis formatae in intestino tenui, nimirum in ileo considerandae.

---

2) Praxis medica cap. V. pag. 187. de dysenteria.

3) l. c. p. 274.

4) Grundriss der speciellen Semiotik. Jena 1838. pag. 163.

5) Horn's Archiv. 1832. Heft 5.

Ab Abercrombie [6]) haec symptomata indicantur: dolor in regione umbilicali; constipatio alvi pertinax et plerumque vomitus; morbo exorto dolor generatim pressu non adaugetur, potius imminuitur; vomitus materiei faecalis cum dolore vehementissimo, virium subita prostratio; tympanitis. In alia observatione invenit dolorem sub pressu auctum, alvum normalem [7]); in alia abdomen nec tumefactum nec tympanicum [8]); in alia singultum [9]); et asserit alio loco constipationem non necessario Ilium concomitari [10]). Alia in observatione, ubi de falsa membrana in ileo sermo est, haec symptomata assignantur: dolor in capite ac dorso, vomituritio, vomitus, dolor ac sensilitas in regione hepatis, pulsus mollis, frequens, vires fractae et mors inde sequebatur [11]). Casus, quos praeterea commemorat, peculiaria praebent, nempe ut symptomata consensualia commemorantur: sopor, coma, vociferationes, pulsus radialis 130—150 ictuum; pupillae ad lucem sensiles; dolor interdum intermittens, adauctus urinam ac faeces mittendo; dolor lancinans; alimenta parum mutata alvo excernuntur; vomitus muci cum sanguine mixti materiam purulentam continentis [12]). —

Louis [13]) haecce symptomata recenset: appetitus ciborum est imminutus; dedolatio universalis; virium prostratio; anorexia completa; diarrhoea copiosa; dolor in abdomine;

---

6) l. c. pag. 138.

7) l. c. pag. 139.

8) l. c. pag. 142.

9) l. c. pag 141.

10) idem 185.

11) idem 317.

12) id. pag. 320—21.

13) Recherches sur la gastro-entérite. 1. partie. pag. 8.

meteorismus; delirium, somnolentia; quae tamen symptomata interdum variant; invenit enim aliquando alvum regulariter solutam vel constipatam [14]); uti quoque in alio casu, quo totum intestinum tenue et crassum praesertim colon affecta erant, sed tum diarrhoea constipationem secuta erat et dein meteorismus, stupor, delirium.

Dolorem in intestino tenui fixiorem, obtusiorem, obscuriorem esse quam in intestino crasso; illum saepe non sponte sentiri et eas abdominis partes occupare, quas anatomia et plessimeter ab intestino tenui repletas demonstrant, asserit Piorry [15]). —

Symptomata ileïtidis depingere, ait W. Stokes [16]), non facile est negotium, et sola methodo exclusiva id fieri posse arbitratur. In ventriculo vel superiore tractus intestinalis parte sitis et vomitus symptomata sunt praedominantia; in ileïtide sitis non tam magna et vomitus fere semper deficit. In gastritide potum frigidum, in ileïtide calidum praefert aeger. Intestino crasso inflammato, diarrhoea, tenesmus et materiei morbosae copiosa per alvum deiectio observantur, quae symptomata in ileïtide vel omnino desunt vel fere non animadvertuntur. In ileïtide abdomen plus minusve tympanice tumefactum et quod summi momenti est de dolore raro queritur aeger; exploratione accuratiore tamen instituta, sensilitas in abdomine reperitur quae tamen et loco et intensitate diversa est a dolore inflammatorio in parte tractus intestinalis superiore; non in epigastrica regione, verum umbilicum inter et cretam ossis ilei dextri haec sensilitas observatur et pressu ibi dolor excitatur; lingua plerumque sordide, albide obtecta et acuminata, ad margines et apicem

---

14) id. pag. 13—30.

15) l. c. Tom. II. pag. 152.

16) l. c. Bog. 1—12. pag. 50.

rubra; pulsus frequens, parvus et facies corrugata; alvi conditio nihil ad diagnosin contribuit; febris semper fere adest, quae formam diversam sibi assumere potest; saepe uti continua simplex apparet; multis in casibus haec uti morbus princeps tenetur, ileïtide ob symptomata parum manifesta non recognita. Interdum viribus ab initio maxime debilitatis, febris typhi characterem prae se fert. Pulsationem arteriarum abdominis adauctam, ileïtidis symptoma pathognomicum dicit auctor ultimo citatus, videlicet si cum aliis symptomatis ileïtidi correspondentibus concurrit.

Petit, ubi de febre entero-meseraïca disserit, ita eam describit: aeger se debilem sentit, febris est irregularis, pulsus frequens et parvus, oculi splendent, conscientia sui imminuta est, non raro diarrhoea adest. Ad haecce observat Stokes, diarrhoeam absque morbo intestini crassi ac cum febre coniunctam, plerumque signum ileïtidis esse. Ileo inflammato libenter dorso incumbit aeger, omni motui, quantum valeat, parcit; cutis sicca est et aspera. In ultimo huius morbi stadio cutis frigida fit, subsultus tendinum, petechiae, involuntaria urinae et alvi excretio, deliria taciturna, coma, gangraena in dorso, exsudatio in thorace et cranio, et generatim omnia quae indicant ultimum typhi stadium, sequuntur.

Neonati gastro-enteritide affecti, plerumque infirmi sunt, febris fere nunquam eam concomitatur; vomitus, abdomen tumefactum, pulsus debilis, cutis frigida, nulla febris inflammationem gastro-intestinalem indicant.

Dentitione vero peracta febris fere nunquam deficit et ex eo quod sequentia adsint ad inflammationem ilei concludere licet: vomitus nempe, sitis, abdomen tumefactum, cutis calida, proclivitas ad diarrhoeam, rubor ad circumferentiam ani; si hisce accedit ut infans sit maxime inquietus, quod symptoma cerebri irritati erit, diagnosis certa habenda est. —

In stadio magis provecto, diarrhoea plerumque imminuitur, sed abdomen magis magisque tumescit, facies indicat infantem multum pati.

Interdum haec ilei affectio cum diarrhoea incipit et hanc regulam practicam tum auctor supra citatus inducit. Si infans diarrhoeam patitur, cui post aliquos dies accedit febris, hunc morbum semper esse enteritidem et ut talem curandam.

Ex diariis clinici medici Bonnensis prodit raro absque diarrhoea intestinum crassum fuisse affectum, cum constipatione vero semper intestinum tenue, praesertim ileon, morbi fomitem fuisse. Haecce praesertim in dothienenteritide affectis cum typho observamus, in quibus autopsia fere semper ea confirmavit. Si vero prius constipatio, dein diarrhoea vel vice versa, tum et tenue et crassum intestinum affecta invenimus.

Intestinum coecum.

Absque conditione morbosa coeci fere non datur diarrhoea. Chylus in intestino tenui fluidus est, quibusdam fragmentis non digestis exceptis, et transit per valvulam Bauhini in coecum; hic coagulatur et fit massa solidior; quibus auxiliis, non quidem exacte scimus. Probabiliter hoc intestinum, quod in omnibus animalibus formam diversam ac magnitudinem habet, secernit acidum quoddam, vel muci ibi secreti qualitas hanc habet virtutem. Dum chylus tenuior est vel abundantior, quam ut secretio coeci par sit huic coagulando, tum haec coagulatio perfecte non sequitur; homines multi cibi inde quotidie pluries alvum fluidam deponunt, quod tamen diarrhoea dici nequit. Si tamen ratione qualicumque secretio coeci, cuius est hanc coagulationem perficere, alio modo peragitur, ita ut officium suum debitum praestare nequeat, diarrhoea exoritur: chylus non coagulatur, fluidus per

intestina crassa transgreditur, magnam copiam gaz formans et fortassin simultanee cum morbificis coli secretionibus miscetur, quo formae variae diarrhoeae ortum ducant [1]). Haecce hypothesis digna quidem videtur ulteriore perquisitione.

Ill. Naumann docet symptomata initio quidem obscura esse, sed sequentibus diagnosin stabiliorem dari. Aegri nempe interdum dolores colicos patiuntur, plerumque constipati alvo, queruntur, praesertim quum larga coena fruantur, de sensu interno tensionis sub umbilico ad regionem iliacam dextram sese promovente; molestiis tamen dyspepticis generatim non infestantur. Inexspectatim denique diaeta neglecta vel alia causa exitum funestum prae se ferre possunt [2]). In histericis coecum saepius sedes est dolorum colicorum spasticorum, quorum vehementissimi regioni coeci respondent, cum sensu globi adscendentis coniuncti et communiter disparentes spasmo pharyngeo exorto [3]).

Couyer-Villermai describit casum, quo homo 36 annorum sanae constitutionis matutino tempore repente dolore vehementissimo in parte abdominis dextra corriperetur; pressus vel levissimus ibi non ferebatur; testiculus dexter sursum ductus erat; interdum bilis vomebatur; nocte quarta vomitus valde dolorificus materiei viridis fere nigrae sequebatur. Dolor sensim disparebat, sed vomitus perdurabat, extremitates refrigescebant, facies hyppocratica; mors. Processus vermicularis gangraenosus erat [4]). Alia similis observatio ab eodem describitur, in qua etiam vomitus subito exortus erat et dolores colici vehementissimi [5]).

---

1) Neumann l. c. cap. XI. pag. 270.

2) l. c. pag. 114.

3) id. pag. 117.

4) id. p. 112.

5) Archiv. génér. de médéc. T. V.

F. Mêlier communicat casum, quo per plures menses calor insolitus, ingratus in abdomine, constipatio alvi pertinax ac leves dolorum colicorum insultus aderant. Dein subito dolor vehementissimus, intermittens sequebatur; in alio casu per duos annos dolores colici obtusi. In tertio per duos menses Philadelphia fuerat turbata, magnaque inquies; repente vomitus vehemens, quem dysphoria ac sitis permagna sequebantur; dein dolor acutissimus in regione iliaca dextra, spasmi ac Syncope; vomituritiones, vomitus [6]).

Apud Abercrombie invenimus casum quo per annum dolor in abdomine et vomitus; dein diarrhoea ita ut aegra (13 annorum) modo hac, modo vomitu, tum utraque afficeretur. Haec symptomata ad mortem usque duravere; macies magna magnique dolores colici pressu adaucti; abdomen molle, laxum. — Dupuytrin observabat tumorem dolorificum, dein abcessum in regione iliaca dextra. — Casum memoratu dignum narrat Sauvages [7]): in nosocomio Monspeliensi vir quidam per septimanam omnia vomitu reiecerat cum enteritidis signis. Secto cadavere inventum est coecum e sede sua ita demotum ut ventriculo incumberet et firmiter adhaereret, colo et recto multum angustatis, caeteris distentis, inflammatis.

Apud Wickham [8]) exponitur observatio, qua iuvenis quidam querebatur de dolore magis magisque adaucto in regione lumbali, supra cretam ossis ilei dextri; de die in diem dolor iste crescebat et vomitus accedebat; symptomata inflammatoria nullo consilio imminui poterant et exitus lethalis die 23 sequebatur. Autopsia instituta coecum rubrum

---

6) Bemerk. über verschied. Krankh. d. Wurmfortsatzes im Journ. génér. de médéc. 1827. Sept. p. 317.

7) Nos. T. II. p. I. p. 464.

8) Lond. med. and phys. Journ. Vol. LVIII.

et exsudati lymphatici magna copia inveniebantur; processus vermicularis ulceratus duos capillos nuclei cerasi magnitudine continebat.

Ubi ill. Naumann disserit de coeci perforatione haec allegat symptomata: tumor plus minusve circumscriptus in regione iliaca dextra cum sensu caloris interni, gravedinis ac tensionis ex regione coeci ad rectum. Febris, constipatio, vomituritio, singultus, vomitus, immo omnia incarcerationis symptomata concomitabantur [9].

Intestinum colon.

Colon ascendens peccare suspicari debemus, quum dolor et sensilitas adaucta supra arcum ossium pubis existant, quae ad decursum coli adscendentis sese dirigunt; dum sensilitas et tensio adsunt sese usque ad epigastrium distribuentes, curvaturam coli hepaticam quoque peccare suspicari licet. Si totum colon peccat, observatur: constitutio valde affecta quod ex pulsu frequenti, siti, anxietate magna, vomitu, singultu et virium subita prostratione patebit. Faeces vel sunt mucosae, vel aquosae, vel faeculentae vel ex his tribus commixtae excernuntur [1]. Dolor potest percipi in diversis abdominis partibus. Aretaeus [2]) observat dolorem interdum fixum esse sub costis, ita ut pleuritidem vel morbum hepatis lienisve mentiatur; vel percipitur in regione lumbali, sacrali ac cruribus; in affectione coli potius vomituritio, quam vomitus infestat.

Sauvages [3]) enteritidem colicam eo dignoscit, quod

9) l. c. p. 118.

1) Abercrombie l. c pag. 300.

2) De caus. et signis morb. acut. libr. II. cap XVI.

3) Nosol. T. II. Pars. I. pag 464.

non umbilicum sed partes abdominis laterales afficiat. Lumborum adest gravedo, dolor, tensio cum febre acuta, rarius vomitio accidit. Quocum Burserius[4]) consentire non videtur, ubi dicit: in colicis doloribus non solum zona coli sed etiam reliqua intestina tensionibus molestis afficiuntur. Hinc accidit saepe, ut vicina latera simul doleant et spasmi ad thoracem et ad costas adscendendo pleuriticos saepe dolores mentiantur. De simili dolore sermonem facit P. Frank[5]); dolor, inquit, praesertim in regionibus hypochondriacis vagatur, saepe cum symptomatis hepatitidis vel pleuritidis iunctus, et colon saepe sub hepate, ventriculo et liene quasi chorda tensa ab uno latere ad aliud sentitur. Haec P. Frankii definitio convenit inflammationi coli transversi; regio epigastrica tensa, pressu dolorifica et dolor ex uno hypogastrio in aliud saepe vagatur vel sursum ad regiones intercostales; interdum tamen de dolore magis fixo, profundo pone umbilicum aegri queruntur. Dolor raro permanens, sed paulo post tensio obtusa oritur in aliqua parte, ex qua rursus vehemens fit et non raro se per totum abdomen distribuit. Interdum post insultum doloris huiusmodi dolor dorsalis permanet. Si inflammatio magna, semper alvi obstructio eam concomitatur cum nisu inani ad alvum deponendam iuncta. Ischuria non raro observatur[6]).

Si ulcera in intestino crasso adsunt, dolor plerumque ex regione Iliaca sinistra ad dextram transversaliter per abdomen tendit. Initio dolor est obtusus et pressu parum adaugetur; tandem fixus manet et ex hoc loco modo dextrorsum, modo sinistrorsum, modo sursum, modo deorsum petit; dein fit urens et magnam promovet anxietatem, quasi cor-

4) Institutiones. Vol. IV. Pars II. §. 93.

5) Epit. L. II. pag. 253.

6) Naumann l. c. pag. 127.

pus urens in abdomine iaceret ac illud constringeret. Aeger nullo in latere incumbere potest nec vel minimum pressum patitur. Dum maximum gradum hic dolor adeptus est, disparet quadam sensilitate remanente. Tales doloris spasmodici insultus ter quaterve per diem et quod superest reiterari possunt. Diarrhoea promota illico solamen. Faeces aquosae initio cum muci magna copia deponuntur; dein fiunt consistentiores colore fuscae, parcae, valde foetidae, interdum sanguine et pure mixtae [7]), Quibus ill. Naumann addit [8]): flatulentia, tenesmus, cutis calida, facies rubra anxium praebens aspectum, lingua rubra, vel constipatio alvi pertinax vel diarrhoea adsunt; appetitus ciborum quoque variat; tandem macies magna; urina parca, fusca; color faciei ex flavido griseus; pedes tumefacti; sudor frigidus, glutinosus, et non raro status subdelirans, comatosus sequitur. Cephalaea saepissime hanc morbi conditionem concomitatur teste Forest [9]).

Sachse docet constrictione spasmodica coli vomitum habitualem posse promoveri.

Ubi ill. Naumann [10]) de scirrhi symptomatis loquitur, ea sensim sensimque sese prodere dicit. Dispositio ad constipationem pertinacia usque crescentem observatur, quacum sensationes ingratae praesertim in alvo solvenda, sese associant. Pressus insuetus ac dolor saepe modo per plures annos magis apparent; dolor plerumque in regione sacrali ac lumbali vagatur neque omnino partem corporis superiorem immunem sinit. Multi aegri sensum habent, ac si faeces ac gaz intestinale in parte aliqua impedimentum invenirent, ibi

---

7) Albers, die Darmgeschwüre. §. 164. ff.

8) l. c. p. 136.

9) Observ. lib. IV. obs. 47

10) Ideen zur Diagnost. Bd. I. §. 446.

colligerentur ac dilatationem dolorificam post se ferrent; si evacuatio alvi sequitur, magnum levamen affert. Faeces plerumque parcae, graciles, tortae, nonnumquam aliquantum applanatae, etiam quidem circumdatae muco sanguineo vel pure. Processus mollitiei ichorosa, colliquativa et tenesmodica diarrhoea anuntiatur. Initio dolor verus, postea tantummodo 10—12 horas post cibos sumptos sentitur; cui se vomituritio, tandem quoque vomitus, quo non alimenta sed mucus insipidus evacuatur, adiungunt; hic diu post cibos sumptos venit, per plures dies saepius intermittit. Appetitus ciborum plerumque bonus manet. In pluribus casibus induratio per tegumenta sentitur; plures aegri dispositi sunt ad melancholiam quae potest tendere ad vesaniam.

Huxham exponit casum de morbo colico singulari [11]) quo aeger per plures annos sensilitate dolorifica in profundo abdominis, flatulentia ac vicissim constipatione vel diarrhoea affectus erat. His duobus vel tribus annis ante mortem accessere deiectiones biliosae, purulentae, foetidissimae cum strigmentis saepe mucosis, saepe sanguineis, ita frequentes insuper ut persaepe intra tres quatuorve horas alvus vel vicies solveretur persistente usque tenesmo: tandem quoque prodiere carunculae fungosae, lividae, tetrae, quarum quaedam magnitudinis saltem nucis myristicae erant. Post mortem coecum profunde in pelve situm ac sphacelato recto adhaerens inveniebatur; ulceris perforati medio haec duo organa inter se correspondebant; interna recti tunica sphacelata, omnino nigra, quasi atramento imbuta, et maxime putrida. Huic porro adhaerebant sex septemve carunculae subnigrae, fungosae, quarum minores magnitudine nucem avellanam aequabant. Ulterius ulcus percipiebatur ex hoc intestino in colon, ubi cohaerebant (rectum nempe et colon),

---

11) l. c. pag. 152.

penetrans, digito mediocri facile patens, intestina vero adeo putrida ut vix tactum ferrent leviorem.

Ubi Naumann [12]) dissenteriam exponit, ita 2^{dum} stadium funestum depingit: aegri, inquit, dum in 2° stadio moriuntur, gangraena in intestinis crassis invenitur: extremitates frigidae fiunt, omnisque dolor deperditur; abdomen tumet; singultus sequitur, aeger magna animositate loquitur et moritur; dum vero gangraena in intestino tenui, aeger dormit usque ad mortem, sed inquietus ac deliriis somnus interrumpitur.

Secundum Graham [13]) sensilitas ac tumor in latere dextro indicant morbum coli adesse. Abernethy [14]) dicit, si diu cum foecibus sanguis niger cum aliis materiis morbidis evacuatus est, plerumque intestinum crassum peccare.

Secundum Neumann [15]), sanguis dum in intestinum crassum effluit, uti sanguis alvo excretus apparet.

Faeces copiosae, spumosae (fermentosae), indicant morbum intestini crassi, quod cadaveris sectio Doctori Graham fere semper demonstravit [16]). Quae omnia satis conveniunt cum doctrina Doctoris H. E. Suckow [17]), qui dicit sequentia ad diagnosin morborum coli contribuere: faeces spumosae [18]); sanguis sine foecibus [19]); deiectiones subito ac cum impetu peractae [20]); tumefactio partis superioris abdominis

---

12) Opp. T. III. p. 46.

13) l. c. pag. 291.

14) l. c. pag. 34.

15) Observat. on the constitutional treatement of local diseases. pag. 47.

16) l. c. p. 274.

17) l. c. pag. 82.

18) Handbuch d. spec. Semiotik. Jena 1838.

19) l. c. pag. 163.

20) idem p. 162.

ae lateralis [21]); dolor alvo ponenda auctus [22]); dolor in hypochondrio dextro et sinistro [23]).

Faeces tum solummodo aliquid characteristici indicant, ubi morbus in colo residet; si enim est in intestino tenui, excretiones pathologicae a secretionibus intestini tenuis se foecibus vel alimentis partim dumtaxat mutatis admiscentibus, circumdantur vel mutantur. Excretio frequens, parca muci sanguinolenti, foecibus normalibus non excretis, indicat partem intestini inferiorem esse affectam et quidem praesertim partem coli inferiorem et rectum [25]); tenesmus plerumque accedit [26]). Diversae observationes ab Abercrombie communicatae, diversa adhuc praebent symptomata; saepe tamen in illis rectum quoque peccare notandum est. Ita describit casum [27]), quo facies praebebat aspectum anxium ac debilitatum; lingua obtecta erat, pulsus parvus, frequens; dolor in abdomine praecipue in regione umbilicali paulisper tensa ac pressu dolorifica, necessitas faecium deponendarum saepe sentiebatur; excrementum parcum, mucosum, sanguine mixtum, vel sanguine puro consistebat. Interdum singultus aderat et vomitus. In alio casu [28]) diarrhoea vehemens ac pertinax, qua vires consumuntur, et quam cessantem sequebantur dolor vehemens in abdomine ac capite atque vomitus. Pulsus 30—40 ictuum per totum morbi decursum; urina valde rubra, parca. In alia observatione narrat virum quemdam

21) idem p. 160.

22) idem p. 135.

23) idem p. 145.

24) idem p. 147.

25) Abercrombie l. c. p. 286.

26) Idem l. c. p. 302.

27) Idem l. c. p. 304.

28) Idem l. c. pag. 315.

saepe constipatione laborasse, caeterum solida fuisse constitutione. Anno aetatis 60 subito dolore vehemente in parte abdominis inferiore corripiebatur; vomitus sequebatur; dein facies pallida, manus frigidae; pulsus debilis, non frequens; virium prostratio; mors. Coli pars inferior perforata erat. [29])

In diarrhoea mucosa sive pituitosa quidem semper intestina crassa irritationem participant; et dum alvus deponitur, flatulentia ingrata, tormina et dolores colici raro deficiunt. [30]) In colopathia stranguria et dolor in lumbis initio iam modo adsunt. [31])

Saepe in hominibus sensibilioribus a colico dolore, praecipue cum ea coli pars, quae ventriculo transversim subiicitur, torqueatur, vomitus vehementissimos assiduosque excitatos vidit Burserius [32]); qui auctor cum ante iam modo laudato Paulo Barbette [33]) consonat, dicens: si vero crassa intestina afficiantur, obtusior est dolor, non ita assiduus, ab umbilico magis distat, statimque post eum deiectiones sequi solent; et cruor ac purulenta materia leviter excrementis adhaerent aut tantummodo innatant.

Dolores colici characterem specialem prae se ferunt, quo a dolore ex utero et omni alio organo discernuntur; sedem nimirum habent in medio abdominis, proveniunt ex parte dextra versus coecum, decursum intestini crassi sequuntur, descendunt ad latus sinistrum et ad rectum tandem proveniunt, ubi alvi solvendae necessitatem excitant [34]).

---

29) id. l. c. pag. 364.

30) Naumann l. c. pag. 700. Band IV. Abth. I.

31) id. l. c. pag. 709.

32) l. c. Vol. IV. P. I. §. 85.

33) l. c. Vol. IV. P. II. §. 58.

34) Piorry l. c. T. II. pag. 152.

Rectum.

Signum Pathognomonicum huius morbi est aegrum quotidie vel fere quotidie evacuationes alvinas omnino sanas deponere, et praeterea quotidie quatuor vel sex deiectiones alvinas mucosas, purulentas, interdum satis copiosas, sanguinolentas, aliquando tenesmo iunctas, habere. Anus generatim rubet, tumetque; saepius quoque una membranae mucosae recti pars involvitur et extrorsum apparet. Digito introducto sentiuntur ubique callositates ac sinus in recto. Febris diu deficit, verumtamen hic morbus cum febre inchoari potest et dum diu durat febri hectica terminatur [1]).

Faeces ichorosae rectum peccare indicant [2]).

Idem nisus protractus ad alvum exonerandam [3]).

Proctitidis symptomata ab ill. Naumann ita exponuntur: dolor urens, lancinans, ex intimo abdomine deorsum vergens, tenesmo eo vehementiore iunctus quo anus proprie sic dictus inflammationis magis fiat particeps. Tenesmus immediate alvum solutam sequitur et colli vesicae urinariae irritatio. Sensus continuus magni caloris in recto; dolor verus interdum solummodo venit cum insolentia et tum vel manet in ano vel ex eo ad lumbos se dirigit; non raro hic dolor pressu levi in sacro excitatur.

Perscrutatio ani digiti auxilio intolerabilem aegro causat dolorem totumque systema nervosum afficit; membrana mucosa sentitur tumefacta, spongiosa, calida. Fere semper vesica urinaria participat irritationem et non raro quoque inflammatur. Ischuria immo et stranguria sunt symptomata

---

1) Neumann l. c. de fluxu coeliaco pag. 260.

2) H. E. Suckow l. c. p. 163.

3) id. l. c. pag. 160.

frequentissima.[4]) Prolapsus ani interdum hanc affectionem concomitatur.[5])

Quibus addit **Howship**[6]): febris interdum et constipatio adsunt; non raro tumor in perineo; aliquando pus et sanguis per anum evacuantur; diarrhoea in aliquibus casibus obvenit.

Ill. **Naumann**[7]) symptomata Blennorrhoeae intestini recti ita describit: dolor obtusus, ingratus in regionibus lumbali ac iliacis, interdum rediens, cum tenesmo raro forti ac sensu caloris in recto iunctus vel cum illo alternans observatur; sensus constrictionis, pressus, ardoris cum evacuatione muci parci; post evacuationem materiei mucosae, quae variae qualitatis esse potest, faeces normales veniunt. Excretio muci vicies et quod superest per diem interdum repetitur. Saepius mucus evacuatus est incolor ac consistentiae mediocris, ita ut filatim solvatur; interdum albumini, gelatinae similis est et constituit quod pituita vitrea dicitur. Color huius muci potest esse flavidus, viridis, fuscus, rubellus, immo strigmentis sanguineis mixtus; interdum foetet et acris est. Hae evacuationes aliquando abundant, teste **Fernelio**[8]), interdum spasmus vesicae, quo urinae excretio praegravatur, et prurigo glandis paenis infestant. Prurigo ad circumferentiam ani frequentior est. Raro hanc affectionem febris concomitatur. Periodicitas horum symptomatum interdum observatur ac circa tempus aequinoctiale hic morbus in peius vertitur. Hoc in casu tempore periodi-

---

4) l. c. IV. Band. 2te Abth. pag. 161.

5) idem p. 163.

6) Pract. Bemerk. über einige d. wichtigsten Krankh. d. untern Gedärme und d. Afters. Uebers. von E. Wolf. §. 49.

7) l. c. p. 170,

8) Pathol. cap. IV.

citatis tumefactio ac tensio abdominis cum doloribus colicis; flatulentia ac evacuationes alvi irregulares, parcae, plerumque durae; dolor capitis, lumborum, dorsi, membrorum, accessus asthmatici vel vertigo cum angustia thoracis simul se offerunt, donec blennorrhoea recti appareat ac levamen adducat. Tott [9]) observabat casum quo ptyalismus cum blennorrhoea pulmonum et recti alternaret.

Bampfield observavit casum quo aeger sensum habebat, ac si ferrum candens magna vi rectum perforaret, anus rubore inflammatorio circumdatus et ad circumferentiam tumefactus erat [10]). Quibus Abercrombie addit: tenesmus cum excretione parca materiei in superficie aegra secretae raro deficit; laxantia his in casibus faciliter faeces duras et naturales promoverent.

---

9) Rust's Magaz. Bd. XXXV. Hft. I. §. 50.

10) Apud Abercrombie l. c. pag. 303.

SYMPTOMATUM RECENSIO.

Duodenum.

Dolor: 2 vel 4 horis post cibos sumptos exortus; initio intermittens, in regione duodenali ortum ducens, saepe ad scapulam se dirigens et ad lumbos, sub pressu ac spiritu alte ducendo crescens.

Vomitus: Saepe affectiones duodeni concomitantur; plerumque sunt biliosi.

Alvus: Diarrhoea aliquando, raro constipatio adest; interdum alternantur.

Urina: Coloris lactei quasi creta commixta.

Icterus: Saepe uti affectio secundaria concomitatur duodeni affectiones.

Ileon.

Dolor: In regione umbilicali vel hanc regionem inter et iliacam dextram. Saepe deficit, vel sub pressu tantum sensilis.

Vomitus: Rarior quam in duodeni affectionibus.

Alvus: Diarrhoca rarior, constipatio frequentissima. Depositio alimentorum parum vel non digestorum per

alvum; item sanguinis purisve omnino cum faecibus permixti.

Sitis: Desiderium potus calidi.

C o e c u m.

Dolor: In regione iliaca dextra.

Alvus: Diarrhoea frequentissima, rarissima constipatio. Sanguis purus cum faecibus deponitur, ita et pus.

Tenesmus: Aliquando adest.

C o l o n.

Dolor: Ad decursum coli.

Alvus: Diarrhoea frequentissima, rarissima constipatio. Sanguis et pus se habent uti in coeci affectione.

Vomitus: In affectione coli transversi satis frequens est.

Borborygmi: Saepe adsunt.

Tenesmus: Saepius quam in coeci affectionibus.

R e c t u m.

Dolor: Vehementissimus, urens, lancinans in abdominis parte inferiore exortus se ad anum dirigens.

Stranguria, *Ischuria*: saepe recti morbos concomitantur.

Alvus: Diarrhoea frequentissima cum tenesmo. Sanguis purus vel pus magna satis copia cum alvo deponitur. Si anum conspicis, rubet.

V I T A.

Natus sum Ioannes Hermannus Carolus Smitz Megae, quod est Brabantiae septentrionalis oppidum, die VI. m. Augusti anni MDCCCX, patre Carolo Smitz et matre Maria e gente Bungenaers, quos dei optima gratia inter vivos adhuc veneror. Fidem catholicam confiteor. Primis litterarum rudimentis imbutus gymnasium Megense, quod auspiciis Fratrum Minorum florebat, per septem annos frequentavi. Philosophicis praelectionibus in seminario Sylvaducensi interfui. Inde cum testimonio maturitatis instructus, tempore Paschali anno MDCCCXXXIII in almam litterarum universitatem Leodiensem me contuli, ibique a Rectore t. t. Magnifico Delvaux in numerum civium receptus sum. Hae sunt, quas ibi audivi praelectiones:

De physica et mineralogia cl. Gloesener; de zoologia beatum Schmerling; de chemia cl. Delvaux; de geometria et algebra cl. Pagani; de botanice beatos Gaede et Le Roi; de anatomia generali, descriptiva, humana et comparata beatum Fohmann, qui cum beato Salpetier in cadaveribus secandis mihi dux fuit; de physiologia humana et comparata cl. Le Roy; de materie medica et formulis medicis rite conscribendis cl. Vaust, cuius egregia benevolentia munus assistentis in medicaminibus praeparandis mihi commisit.

Anno MDCCCXXXVI m. Novembris almam musarum sedem Rhenanam petii, ubi a Rectore Magnifico W u t z e r inter cives academicos receptus et a decano facultatis medicae spectatissimo N a u m a n n numero medicinae studiosorum adscriptus sum.

Lectiones, quas ibi frequentavi, hae sunt:

De arte obstetricia ac morbis puerorum audivi ill. K i l i a n, qui mihi quoque in clinico obstetricio dux fuit; de chirurgia generali et speciali, de casibus clinicis memorabilibus, de anatomia chirurgica et in clinico chirurgico ill. W u t z e r; de educatione medici, therapia generali, disputationibus de casibus clinicis, in clinico propaedeutico et practico medico ill. N a s s e; de pathologia generali et speciali, de therapia speciali morborum acutorum nec non chronicorum ill. N a u m a n n; de medicina forensi et epizootiis ill. B i s c h o f f.

Quibus omnibus viris illustrissimis, maxime de me meritis, pio animo maximas, quas possum, ago gratias, easque persolvere nunquam desinam.

THESES.

---

1. *Causarum occasionalium investigatio et ad morbi diagnosin et ad eius curationem recte perficiendam, numquam negligenda est.*
2. *In homine syphilitide affecto eodem tempore adesse potest bubo syphiliticus et non syphiliticus.*
3. *Quaestio num vel matris vel foetus vita sit servanda, medico obstetricio esse non potest.*
4. *Perforationem, foetu vivo, numquam instituere licet.*
5. *Sectio caesarea invita matre non instituenda.*
6. *Datur febris essentialis.*
7. *Non omni caret probabilitate hypothesis antiquorum: lien esse diverticulum ventriculi.*
8. *Bilis e sanguine arterioso secernitur.*
